

Georg Detharding

**In Sacratissimo Pentecostes Festo Spiritum Sanctum, ...Ut Medicum Genuinum
De Omnium & Singulorum Mortalium Salute Optime Merentem à Civibus
Academicis Reverenter Et Firma Animi Confisione Adeundum ... commendat**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004016948>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1732. Pfingsten.

~~M-1256.~~ 218.

74. 1732

In
SACRATISSIMO
PENTECOSTES FESTO
SPIRITUM SANCTUM,

Ut
MEDICUM GENUINUM
DE OMNIUM & SINGULORUM MORTALIUM
SALUTE OPTIME MERENTEM



à
CIVIBUS ACADEMICIS
REVERENTER ET FIRMA ANIMI CONFIDEN-
TIA ADEUNDUM,

ea, qua par est & valet, sollicitudine
commendat

ACADEMIÆ RECTOR
GEORGIUS DETHARDING,

MEDIC. D. ET PROFESS. PUBL. ORD.
TOTIUS ACADEMIÆ SENIOR,
ET
FACULT. MED. DECANUS.

ROSTOCHII,
Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.
Typographi.

M. 1256 218

GAudeo valde, sed & valde contristor, *CIVES hono-
ratissimi*, quoties officii rectoralis mihi deman-
dati ratio monet, ut sub diebus festis vos allo-
quar & ad hos pia celebrandos mente, qua va-
leo, autoritate, permoveam. Gaudii mei cau-
sam facile penetrabitis, quandoquidem a Christiano quovis,
quidni à Magistratu Christiano? non sperari non potest,
quod dulcedinis mentem suam ex memoria solenni benefi-
ciorum cœlitus collatorum reficientis alios sibi que com-
missos sit redditurus compotes; æque ac quod ex squalidis
carceribus & tenebrosis terræ cryptis in lucem & libertatem
restituti, itidem olim captivis nunc demissi, quoties de pri-
stino miserrimo statu sermo, lætitiâ suam sint annuntia-
turi. Ast, quod inde contrister, hoc *Vestrum* quidam, aut
plane non sibi persuaserint, aut sollicitudinem meam ad
animum, qua deberent attentione, non admiserint. Quid
vero metuere æquius, quam Programmata festiva etiam,
quæ Lectorum in ædificationem promulgantur, aliquando
inter occasiones augendorum cruciatuum æternorum nu-
meranda fore, de quibus Salvator, iudex certo certius fu-
turus, præfagiit, quod illi hos expectent, qui ad veritatem
cognoscendam amplectendamve præ aliis graviter, sed fru-
straneo eventu, sint admoniti. Spernuntur autem eadem ab
his, conculcantur ab illis, ut parum absit, quin inter cere-
monias collocentur, quas modo Rector Academiæ obser-
vandas habeat. Paucissimi sane sunt, ac via cœlestis undi-
que paucos Viatores novit, qui Programmata hujus com-
matis avidè legendo, lecta pio animo meditando, ac mente
obsequiosa venerando, sicque sitibundi & famelici, quos pro-
mittunt fructus divinos carpunt & sibi vindicant. Nihilo-
tamen minus & illorum & horum ergo, continuandum
erit hocce scribendi & hortatum genus, illi, ut resipiscant,
hi, ut porro sacra hæc in succum & sanguinem abire pro-
vide curent. Utrique ergo *Vestrum*, cui etiam gregi eritis
affociandi, quod non adeo ex more, quam ex amore animum

deinde

de vestris veris commodis sollicitum esse testatum faciam, hoc festo Pentecostes commendabo SPIRITUM SANCTUM, tanquam Medicum genuinum, de vestra æque ac mea salute valde occupatum; in quo scrutinio, comparatione cum fido Medico facta, argumenta ponderosa nos destituere haud poterunt.

Gaudeat Medicus fidus vocatione interna & externa. Quis nostrum ignorat, ac DEUS trinunus totus totus Amor est, huic propensione in genus humanum esse tribuendum, quod S. S. gratiosâ seriaeque intentione promptus sit atque paratus ad beneficia per mediatorem Filium DEI unigenitum omnibus & singulis mortalibus parata, qualia sunt *remissio peccatorum, filiatio, inhabitatio divina, salus æterna* &c. omnibus & singulis clare & distincte annuntiandum, annuntiata illustrandum, illustrata cordi inscribendum, quo sint & maneant firma: quicquid portæ inferorum horrendis boatibus reclamaverint, ac quibus dubiis illa infringere allaboraverint: Ex hac sua, qua in quosvis & singulos fertur, benevolentia interna est, quod præsto his adsit, qui se volunt Medicum; sive quod de illo informati sentiant afflictiones à peccatis commissis, & conscientiae cruciatus à spretis suis consiliis sanis; sive quod in integrum restituti, majorem desiderent virium ad firmiter in cepta semel via ambulandum restorationem; sive quod sibi à recidivis metuant, ex mille causis occasionalibus se circumdantibus nec penitus evitandis, oriundis; quas inter præcocem voluntatem numerant, per singula momenta intellectum præcurrentem, ridendo & blandiendo cautos quoque & abstemios non æque raro prosternentem. Hi jam, quoties nuntios mittunt, qui sunt preces corditus effusæ, ut advolet, ut subveniat, ut suffulcat, ut verbo divino, cordiali optimo, solamen afferat, queis nuntiis aditus in intima penetralia cœlorum nunquam non patet, toties suaviter assurgit, ut in hunc usque diem nemo afflictorum frustra opem illam desideraverit. Ministros insuper hic *Medicus medicorum* in his terris alit, qui viva voce, de suo amore, de sua promptitudine, de indulgentia sua,

de salutari sua methodo medendi quosvis attendentes informant, ne cuiquam, cui male est, malum maneat, hosce inde æstimandos esse, ut fides ipsis habeatur, negotium rei tam seriæ ultro insinuat

Medicus fidus noverit morbos & afflictiones. Sed cui magis patient intimi recessus nostrorum cordium quam S. S. qui scrutatur cogitationes nostras & novit, quid quivis peccaminosorum sub cute gerat? Admittit equidem, quod etiam penes Medicos solenne, ut afflicti dolores suos referant, de horum gravitate, diuturnitate, numero multa verba faciant; at, dum hi ex tali narratione de morbi indole se informandos habent, est, quod ille ante noverit, ex quibus causis, sub quo tempore, in quibus circumstantiis morbi animi ceperint, quam nostra commemoratio inceperit. Patienter nihilo secius auscultat, imo jubet, ut pleno ore in sinum suum omnes querelas effundant, quo de sincera voluntate afflictorum medellam sollicitantium sibi ipsis & ministris suis fidelibus ante memoratis apprime constet.

Medicus fidus adhibeat remedia congrua: Hæc quoque è penu amoris divini magna caterva depromit S. S. modo retundendo ferociam dolorum animum obsidentium dictis biblicis speciatim afflictioni urgenti admotis: modo usu & memoria Sacramentorum in miserorum salutem & refocillamentum saluberrime constitutorum animum addendo; modo attestando, quod afflicti sint in numero filiorum DEI; modo colloquiis & alloquiis piorum expertorum vulnera readunando; modo memoria præteritorum refocillando, quæ & quanta olim fuerit ejus sedulitas, ejus peritia medendi, ut omnia, quæ animum male habuerint, quando in pejus ruere quævis exhorruit, bene & ex voto cesserint, venenis in ph. rmaca, divino consilio, abeuntibus. Nec est, quando Medici remedia præservantia svadent, quin Hic eadem noverit, ut tribulationes nunc mentem, nunc corpus, nunc fortunam, nunc profapiam, nunc omnia simul exercentes, præ aliis sensus status peccaminosi, in tali catalogo prophylacti.

lacticorum modo non primum locum occupent, tanquam fide digna & longo usu probata.

Medicus fidus non statim resiliat à methodo medendi; etsi ager hanc egre ferat & velit mutatam. Pariter hunc morem servat S. S. ut non modo incipiat medelam animi ad desiderium & in commoda laborantium, hancque pro conditione mali instituat, sed continuet etiam ad consummationem usque. Habet quidem eadem fata, quæ Medici, ut afflicti multoties, si non omnimodam remedii admoti remotionem velint, velint tamen mitigationem, vel pausam, quo respirent; ast, prouti non ægrorum est, mederi, sed pati, econtra medentium non saltem jucunde sed & tuto curare, haud ergo captam semet curam interrumpi congruum; pariter S. S. qui rectius peccatoribus novit, qua methodo sit procedendum, ne scopo suo cum horum damno excidat, non statim ad vota præcantium remedia salutifera, etsi angant admodum, aufert, vel mutat. Patitur, quemadmodum Medici hoc solatii curæ suæ commissis ultro largiuntur, ut suspirent, ut ejulent, ut querelas de acerbitate medelæ affundant, ut supplices verbis & factis fiant, lachrymasque copiose profundant; dum de salute illorum agitur, quando induciis nullus locus, non ante desistit à medela, quam hanc præstiterit, nec ante remedium mutat, quam hoc effectum saluberrimum produxerit. Audiat licet, ac teneri afflicti Medicos incusant, immisericors, crudelis, surdus ad preces; à medela peracta eo majores ipsi canuntur laudes ac præconiorum tunc plena sunt omnia.

Medicus fidus egrotantes immorigeros nec dicto audientes ad tempus deserat. Itidem hac via incedit S. S. ut, quando monitis suis seriis nullus locus, nullæ blanditiæ, ut his assurgant, aliquid valent, quo peccator resipiscat, maneat potius refractarius, permitrat in tantum ambulare viam iniquitatis & voluptati se tradere, donec fidiculis Satanae & pravorum affectuum catenis constrictus, quo se vertat, nesciat, opem ergo suam anxius denuo imploret. Peccata quippe

idcirco

X 3

compa-

comparari merentur cum pillulis officinarum saccharo obdu-
ctis, quas elegantia externa & primus sapor valde commen-
dant, sed à quibus, dulcedine absumpta, & amarities & tor-
mina infesta tristitiam doloresve non leves inferunt, ut
consilia in oblivitionem avide desiderentur. Quæ vero in
Medico gratiofo est facilitas, iterum iterumque his suc-
currendi, qui medicinam & una se, hanc offerentem, tædio &
odio habuerunt, quando ad saniozem mentem malis
gravioribus correpti redeunt; ea sed multis parasangis
excellentiore est gratia S. S. qui faciem suam serio nun-
quam à peccatore, sit vel pessimus, avertit, quin denuo
opem suam desideratam præstet, quo ad frugem redeat,
media suggerat, & subsidia, ex angustiis emergendi necessa-
ria, ampla manu afferat. Præterea, si ingratitudez stram
non levem agnoverit, commissam habet pro non commissa,
potius se gratiosissimum esse verbis & factis ubertim testatur.

Medici fidi voluntas habenda pro effectu; sic quoque osci-
tantia peccatorum, ac horum durities cordis, nec malleo
verbi divini, nec poenarum gravitate corrigenda, si in lon-
gum & latum perstiterit, liberat S. S. ab omni incusatione
malevolorum, quod nec perversi status agnitio, nec inde
mentis contritio, nec abhinc desiderium remediorum, nec
ergo mediorum salutiferorum effectus suavissimus è voto
cesserint. Offeruntur talibus argumenta persuasoria de lu-
cro cessante, de damno emergente desumpta, quæ ad con-
vincendum & in viam rectam deducendum penes alios
effectum speratum toto die post se trahunt; ast, quia com-
placencia sui ipsius, delatio termini conversionis de die in
diem, præconcepta opinio de facilitate sese convertendi
quando fuerit volupe, lamellarum instar, quod de lapidum
concretionem prædura Physici monent hanc ex lamellis sibi
invicem superincumbentibus oriundam esse, cordis aditus
obturant, & claudunt, non datur illis ingressus intimior;
nec ergo magis operari in talibus refractariis possunt, quam
remedia morbo satis adæquata, ad hunc profligandum,
- 81707
sicubi

ficubi post lectum rejiciantur. Sibi jam habeant hi ægri contra jumenta calcitrantes, quando in mortis antro constituti sero nimis sapiunt, oblatae vero, sed spretae medicinae memoria majoribus cruciatibus se tangit & angit.

Medici fidi est benefacere, sed male audire. O! quam nimis frequentes invektivæ in manu ductionem S. S. ad vitam æternam! Quos flectit hos frangere, quos castigat hos enecare, quos tondet hos deglubere arguitur: ut, quod adagium in medicorum leges vibratur, *medice vivere esse pessime vivere*, in se quoque torqueri, Ipse passim in Sacris Pandectis testatum faciat, suaque consilia non nisi hominum perversorum restitutionem redolentia, pro nimis tædiosis ac intolerabilibus monitis habeantur, ac æstimentur. Absit ut S. S. exin à seria sibi se tradentibus impensa & impendenda adhuc dum cura abstineat, vel non novos in gremium recipiat, de amore divino & hujus ineffabilibus confectariis mentem reficientibus fideliter informandos; quemadmodum Medici genuini tramitem justum in morbis debellandis & eradicandis, provide & constanter continuant; sinistra vero judicia pro gryllis habent, valde canoris, qui per ætatem iter agentibus stridore suo molesti equidem, sed hos à via recta deducere, aut, quo certamen cum illis ineant, hinc in itinere subsistant, permovere potis haud sunt.

320 Sufficiant hæc porismata in nostra gaudia, in nostra incitamenta, in nostra commoda è fonte veritatis hausta, quibus longe plura addi potuissent, forsitan & debuissent. Sumant hoc sibi, si volupe, tempora futura & qui his præerunt, suo officio nos omnes singulosque in rectam viam perducendi haud deerunt. Nos jam agamus, quod fieri assolet, quando novus Medicus arte & usu instructus urbem intrat, ut concurrant undique cives, ægroti illius consilia velint, remedia admittant, & fiduciae pleni alios decumbentes in idem ad opem sollicitandam permoveant. Adest nobis equidem S. S. sed quasi esset incognitus (ac proh! sunt, qui de illo nihil recte norunt,) vult, ut ministri ejus fideles

fideles suam præsentiam, suam juvandi promptitudinem, sua nunquam non fida remedia, plenis buccis & calamis testatum omnibus faciant. Quid commoramur, tot afflictionibus quot peccatis, tot doloribus quot concupiscentiis pravis tot animi ægritudinibus quot cogitationibus impiis pejus his qui morbos corporis sustinendos habent, pressi ac oppressi? Salutemus suas ædes; confiteamur nostras ægritudines, auscultemus sua consilia, subjiciamus nos suæ methodo medendi, quo cum DEO & hominibus, ac ægri cum sanitate, redeamus in gratiam. *Felicissimus* quippe, si quis alius, ille est, ac sunt, qui in Medico fortunam desiderant, & tot curis per tot secula, per totum orbem præstitis non experientior factus, quod de Medicis, optimis quoque statuendum, sed à seculis seculorum se jam (ut termino Medicis familiari loquar) *experientissimum*, vel, si mavis, *omniscium*, probavit & comprobavit. Sola nostra diffidentia, titubatio nostra, nostra mentis ad variandum in medelis propensio, in culpa est, sicubi vel maneamus incurabiles, vel ille nos tanquam immorigeros ac refractarios per aliquod tempus relinquat passionibus nostris obnoxios. Absit, iterum iterumque absit, ut vel in unum nostrum, *Cives dilectissimi*, hæc præfagia cadant. An vero erimus in horum ægrorum numero, qui ingrati audiunt? ut S. S. sollicitudinem nos juvandi, & remediorum eo tendentium congruam applicationem à cura peracta spernamus & nos iterum illecebris mundanis constrieti in abyssum malorum præcipitemus, immemores gratiæ cœlestis ex fonte misericordiæ divinæ nos circumdantis. Canamus potius, laudemus, extollamus, prædicemus magnalia eius, verbisque & factis, quam necessaria fuerint, tam grata nobis maneant subsidia illa omnibus thesauris & gazis, omni honore, omnibusque deliciis longe anteferenda, omnibus singulisve faciamus testatum.

P. P. sub Sigillo Rectoratus,
Imo Festi Pentecostes die, Calend. Junii An. MDCCXXXII



